



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XII. De informatione patientiæ, & luctamine adversus
concupiscentias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

omnia, paucisque contentari dicat,
& simplicibus delectari, nec contra
aliquod inconueniens mullitare.

CAPUT XII.

*De informatione patientiæ, & in-
mine aduersus concupiscentias.*

1. **D**omine Deus, ut audio, pa-
tientia mihi valde necessaria
est: multa enim in hac vita accidunt
contraria.

Nam qualitercunque ordinaverit
de pace mea, non potest esse sine
bello, & dolore vita mea.

Ita est, fili. Non volo te autem
talem quærere pacem, quæ tentatio-
nibus careat, aut contraria non sen-
tiant.

Sed tunc etiam æstima te pacem
invenisse, cum fueris variis tribula-
tionibus exercitatus, & in multis
contrarietatibus probatus.

2. Si dixeris te non posse multa
pati, quomodo tunc sustinebis ignem
Purgatorii?

De duobus malis minus est semper eligendum.

Ut ergo æterna futura supplicia possis evadere, mala præsentia studeas pro Deo æquanimiter tolerare.

An putas, quod homines seculi hujus, nihil, vel parum patiantur? Nec hoc invenies, etiamsi delicatissimos quæsieris.

Sed habent multas delectationes, & proprias sequuntur voluntates: ideoque parum ponderant suas tribulationes.

3. Esto ita fit, ut habeant quidquid voluerint: sed quamdiu putas durabit?

Ecce, quemadmodum fumus deficient abundantes in seculo, & nulla erit recordatio præteritorum gaudiorum.

Sed cum adhuc vivunt, non sine amaritudine, & tædio, ac timore in eis quiescunt.

Ex eadem namque re, unde sibi delectationem concipiunt, inde do-

K

loris

loris pœnam frequenter recipiunt. Juste illis fit; ut, quia inordinate delectationes quærunt & sequuntur, non sine amaritudine, & confusionibus eas expleant.

4. O quam breves, quam falsas, quam inordinatæ, & turpes omnes sunt?

Verumtamen præ ebrietate, & cæcitate non intelligunt: sed velut muta animalia propter modicum corruptibilis vitæ delectamentum mortem animæ incurrunt.

Tu ergo *fili*, post concupiscentias tuas non eas, *Et a voluntate tua auertere. Delectare in Domino, Et dabo tibi petitiones cordis tui.*

Etenim si veraciter vis delectari & abundantius a me consolari: esse in contemptu omnium mundanorum, & in abscissione omnium inmundarum delectationum erit benedictio tua, & copiosa tibi reddetur consolatio.

Et quanto te plus ab omni creatura

turarum solatio subtraxeris, tanto in me suaviores, & potentiores consolationes invenies.

Sed primo non sine quadam tristitia, & labore certaminis ad has pertinges.

Obstet inolita consuetudo, sed meliori consuetudine devincetur,

Remurmurabit caro: sed fervore spiritus frænabitur.

Instigabit, & exacerbabit te serpens antiquus, sed oratione fugabitur: insuper & labore utili aditus ei magnus obstruetur.

CAPUT XIII.

De obedientia humilis subditi ad exemplum Jesu Christi.

I. Fili, qui se subtrahere nititur ab obedientia, ipse se subtrahit a gratia: & qui quærit habere privata, amittit communia.

Qui non libenter, & sponte suo superiori se subdit, signum est, quod caro sua necdum perfecte sibi obedit,